

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Auditor m
cum fonte primo

Quidam ueniunt ut audiant non ut discant,
sicut in theatrum uoluptatis causa
ad delectandas aures oratione
uel uoce uel fabulis ducimur.
Magnam hanc partem auditorum uidebis,
cui philosophi scola diuersorium ocii sit.
Non id agunt ut aliqua illo uicia deponant,
ut aliquam legem uite accipiant
qua mores suos erigant,
sed ut oblectamento aurium perfruantur.
Aliqui eciam cum pugillaribus ueniunt,
non ut res accipiant, sed ut uerba
que tam sine profectu alieno discant
quam sine suo audiunt.

Seneca epistola CX.

Quidam ueniunt ut audiant, non ut discant,
sicut in theatrum uoluptatis causa
ad delectandas aures oratione
uel uoce uel fabulis ducimur.
Magnam hanc auditorum partem uidebis
cui philosophi schola deuersorium otii sit.
Non id agunt ut aliqua illo uicia deponant,
ut aliquam legem uitae accipiant
qua mores suos exigant,
sed ut oblectamento aurium perfruantur.
Aliqui tamen et cum pugillaribus ueniunt,
non ut res excipiant, sed ut uerba,
quae tam sine profectu alieno dicant
quam sine suo audiunt.

Lucius Annaeus Seneca, *Epistulae morales ad Lucilium*, 108.6 (L.D. Reynolds ed., vol.2, p.451, ll.21-30).